Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 19

Quelle:
Copyright:

rum In chrems Qui eum furat ille a laqueo ſe ſuſpedat.

X. VI A 17

17 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 278. Eſt Pars V. et ultima *Bibliorum*, de quibus ſupra. Continet Libros N. T. hoc ordine: *Evangelia Matthaei, Marci, Lucae, Johannis. Epiſtolas Pauli ad Rom. ad Corinth. II. ad Galatas. ad Epheſ. ad Philippenſ. ad Coloſſenſ. ad Theſſalonicenſ. II. ad Timotheum II. ad Tit. ad Philemon. ad Hebraeos. Actus Apoſtolor. Epiſtolas Canonicas Jacobi, Petri II. Johannis III. Judae* ac tandem *Apocalypſin.* Omnia haec brevibus Praeloquiis inſtructa ſunt; per errorem tamen Praeloquium *Epiſtolae Judae* ante *tertiam Johannis* ſcriptum eſt. Locus de Teſtimonio I. *Joh. c. 5. v. 7.* ſic habet: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra. Spiritus, aqua et ſanguis: et tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in celo. pater et uerbum, et ſpiritus ſanctus. et hij tres unum ſunt.* Codex demum hoc epiphonemate terminatur: *Anno incarnacionis domini noſtri ieſu criſti. M°. CCC°. XXXIII. ſequenti die Proceſſi et Martiniani. Ego Chunradus Sweuus ſcriptor incepi hoc opus. et deo dante perfeci Priſce. v. M°. CCC°. XXXIIII°. Deo Gracias.* Id, quod de *ultimo* ſolum *Tomo* ſive N. T. intelligi debere, cum breve ſex menſium ſpatium, tum alia hujus Tomi, eaque minus elegans et adcurata manus evincit.

Ceterum inſigne iſthoc Bibliorum Exemplar, utut *Pſalterio* deſtituatur, iis, quae in *Lelongii Bibliotb. ſacra* enumerantur, omni jure accenſeri poſtulat.

XI. VI B. 7

Codex membraneus lat. Sec. 60
XV. Folior. 155. f. per duas columnas eleganter ſcriptus, frontibus librorum deauratis et picturatis eſt *Tomus I. Sacrorum Bibliorum* ex Verſione Hieronymi, cujus Praefationes ubique praefixae ſunt. Habetur vero hic *Pentateuchus, Liber Joſue, Judicum* et *Ruth*, omnes in Capita diſtincti.

XII. VI B 8

Codex membraneus lat. Sec. 61
XV. Folior. 204. ſcriptus et ornatus uti praecedens, eſt *Tomus II. Sacrorum Bibliorum*, complectiturque *Libros IV. Regum, Paralipomena, II. Esdrae, Proverbia, Eccleſiaſten, Cantica Canticor. Sapientia. i. Eccleſiaſticum.* Libros *Regum* Prologus galeatus *Hier.* praecedit. Primi duo in ſubjectis rubricis *Samuhel*, poſteriores *Malachim* adpellantur. *Paralipomenis* et *Esdrae* praefatur *Hieronymus.* Hic vero non dividitur in Libros II. ſed finito primo adjecta eſt rubrica: *nec explicit, nec incipit*, ſtatimque continuatur *Nehemias*, novo tamen Capitum numero.